Dissertatio medica, inauguralis, de corporum humanorum temperamentis, morbisque nonnullis, quibus horum quidque maxime pateat ... / Eruditorum examini subjicit Joannes Ainslie, Scotus.

Contributors

Ainslie, Joannes
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1787.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/yjvquum4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

DE

Corporum Humanorum Temperamentis, Morbiſque nonnullis, quibus horum quidque maxime pateat.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES AINSLIE,
SCOTUS.

Ad diem 25. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Doctor Duncan with respect-
full Compts. from his
most obt. humble
The Author.

350337

WELLC
LIBRA
INSTIT

CAROLO WEBSTER, M.D.

Tum Theologiae, tum Medicinae

Peritia ac prudentia

Excellenti;

Nec non

GEORGIO FORREST, M.D.

Naturalis Philoſophiae

In Academia Andreapolitana

Profeſſori conſultiſſimo,

Sibi cognato

Cariſſimo,

Hoc opuſculum,

Grati quidem animi, ſummaeque obſervantiae,

Teſtimonium,

Lubens offert

JOANNES AINSLIE.

Jubet igitur nos Pythius Apollo noſcere noſmetipſos; cognitio autem haec eſt una, ut vim noſtri corporis animique norimus. *Cic. de Fin.* 5. 16.

Quid intereſt! *Ter. Eun.* 2. 2. 2.

Sunt alii ad alios morbos procliviores. *Cic. Tuſc. Diſp.* 4. 12.

Revera quaedam quibuſdam magis, et non omnes (*curationes*) omnibus conveniunt, propter differentiam ſcilicet corporum. *Scrib. Larg. in Epiſt. ad Call.*

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Corporum Humanorum Temperamentis, Morbisque nonnullis, quibus horum quidque maxime pateat.

PROOEMIUM.

ARGUMENTUM, quod non tam perficiendi spe, quam experiundi voluntate aggredior, ab omnibus, utcunque animadversum, permagni esse momenti existimabitur. Morbi enimvero, quibus mortales ubicunque locorum obnoxii degunt, vix, aut ne vix quidem, satis commode curari possunt, nisi temperamenta jam bene explorata et provisa fuerint. In confesso quidem est, neminem sine multiplice rerum usu ac subtiliore observatione compotem horum fieri; ideoque universi, qui judicium hominum sint emeriti, uno ore consentiunt, talem medicum alteri eorundem incurioso longe et multum antecellere.

Cuncti fere veteres rei medicae ſcriptores, quippe qui vel fratres geminos inter ſe diſſimillimos ſenſerint, magnopere laborabant, ut, quamplurimis undecunque corraſis, omnia hujus loci, cauſam praecipue diverſitatis, cognita compertaque haberent. Sed haec et his ſimilia opinionum commenta haud in magno equidem ponam diſcrimine. Hic ſolum annotare libet, olim nempe quoſdam humores, ſeu ſuperantes, ſive aliter aliterque modificatos, firmiores primo partes, deinceps nonnulla ipſius cerebri loca afficientes, ut in corporibus magnas diſſimilitudines, ſic in animis praeſtitiſſe majores etiam varietates. Atra bilis, verbi cauſa, ut iſtis placet, generat temperiem, in qua propria fibrarum rigiditas, animus demiſſus, meticuloſus, omnigenoque lymphatui patens dominetur. Haec quidem cum reliquis, ut fieri par eſt, ex ſuis nimirum parentibus quaeque nominantur.

Antiquitus profecto, utpote anatomica parum exculta, et ſanguinis natura aliorumque humorum incognita, haecce opinio, dictu ſpecioſa, convaluit; hodie autem aliquot humores, a veteribus decantati, eſſe omnino negantur, imo etiam dicta de modo, quo fingitur cerebrum affici, refelluntur.

Neque tamen mirum eſt, ſi recentiores videantur in hac re nihil, aut admodum paulum aliquid certius adtuliſſe. Inter univerſos enim animadvertentes corporis animique conſenſum in ſingulis, vix duo quidem quoſvis ejuſdem ingenii, compluria contra in unoquoque ſua ſolius ac propria, corpus denique ejuſdem alio atque alio vitae tempore variare, conſtare neceſſe eſt, quam multigena hominum temperamenta, quamque difficile omnes cujuſlibet rationes reddere.

Liberis quidem ſaepe, id quod nemo neſcit, facies, indoles, morbique a parentibus traduntur; atqui in illis ſua bene mul-

ta

ta propria et peculiaria exſtant atque eminent, quae his accepta referri nequeunt, ideoque aliunde oriuntur. " Claudia gens " diu Romae floruit, impigra, ferox, ſuperba: Eadem illa- " chrymabilem *Tiberium*, triſtiſſimum tyrannum, produxit; " tandem in immanem *Caligulam*, et *Claudium*, et *Agrippi-* " *nam*, ipſumque demum *Neronem*, poſt ſexcentos annos de- " ſitura *."

Quanquam nativa hominum temperamenta haud facile mutentur, attamen ſatis conſtat, eadem ipſa rerum fortuitarum concurſione multimodis non paulum variari. Revera aetate quaque, ut mores, ita transformia corpora ſentimus. In publico verſati, civilibus officiis functi, viciſſitudines rerum, cupiditatis fruſtrationem, fructus minus dulces experti, non ſolum ſpe, ſed certa re jam et poſſeſſione deturbati, tum demum longe alii evadimus, quod ad corporis conſtitutiones attinet, quam antea fuimus. Adeo animus cum corpore omnia, quae ſeſe cura aliqua afficiat, una communicat. Quinetiam permulta alia ſuum quidque ad crebram corporis mutationem apportant; quorum fortaſſe praecipua ſunt, propoſitum vitae, coelum, conſuetudinis vis morborumque imperioſiſſima. In ſanguineo temperamento, de quo primum agemus, fibrarum relaxatio, levitaſque mentis, notae ſcilicet ejus certiores, aetate procedente, recedunt, multa tolerantia et curis humor diſſipatur, ſolidae partes ſicciores fiunt rigidioreſque, jucundiores ſenſus dilabuntur, cogitationes ſunt attentiores, ſenſim pedetentimque plus minuſve melancholiae ſubit.

Etſi non ſecus ac vultus, corporis conſtitutiones variant; auctores tamen auſi ſunt ad aliquot genera principes harum qualitates, paene per ſe quidem infinitas, redigere, atque eaſdem, aliter aliterque commiſtas, innumero differentias numero formare

* Greg. Conſp. Theor. Med. § 16.

formare opinantur. Hinc multae notantur proprietates, quae ſemper huic et illi temperamento inſunt, quaeque adeo indicent curationem morborum idem infeſtantium. At enim omnia certe ſingula temperamenta, memoratu digna, ſuumque proprium ſibi titulum repoſcentia, ad tam pauca capita jure cogi nequeunt. Quid? num ratio, ne dicam uſus, analogia ſuadente, ex rerum naturae contemplatione velit jubeatque, uti genera hujus loci non ſolum numero, ſed etiam paucitate, quatuor ſcilicet, definiantur? Verum in hoc tranſcurſu tam arctati operis aliquid erroris ſuſpicari, non redarguere, vacat; quoniam alio properare tempus monet.

Nunc igitur pauca de iſtorum quatuor, ſanguinei nempe, melancholici, cholerici, et phlegmatici, certioribus notis, atque indole ingenii cujuſque propria, morbiſque nonnullis, quibus horum quidque maxime pateat, differere viſum eſt.

DE SANGUINEO TEMPERAMENTO.

Sanguineum temperamentum omnium, ut plerique autumant, ſcitu facillimum, ſaepius in muliebri ſexu, viris adoleſcentibus, calidiorum porro incolis regionum, idque ſignis haud dubiis deprehenditur.

Huic autem adeſt cum primis relaxatio fibrarum mollitieſque propria, eo manifeſtior, quo junior ſit homo, praeſertim in foeminis. Ex magnitudine quidem formaque duntaxat

aſpectis,

aſpectis, quiſpiam protinus colligeret, iſtud adeo ſummis valere viribus; mendoſiſſime vero; namque talia plerumque infirmiora, laboriſque minus patientia. Unico ſane labori, blando et ipſi, ſed qui frequens omnium maxime ſolvat, homines hujus temperiei ſupereſſe et volunt et poſſunt; abundant ſcilicet venere, concubituque libentiſſime indulgent.

Hic ſenſus atque irritabilitas nervoſi generis apparent; ideoque muſculi ſunt quam mobiliſſimi; unde profecto homines, in exercitiis agilitatem corporis poſtulantibus, mirum in modum facile excellunt.

Plenitudo quoque circumeuntis generis multo major, quam in reliquis, plerumque exiſtit. Circuitus quidem liber et rapidus, levioribus quippe acceleratur cauſis. Sanguis ipſe floridior dilutiorque, ex vena emicat omnino perlucidus, paterque exceptus tardius duratur. Aliquot exiſtimarunt eundem glutine abundare; ſed ipſa evidentia iſtorum opinioni repugnat.

Secretiones porro ſunt copioſiſſimae, ſpecialiter autem ſeminis; unde appetentia coitus inexhauſta. Lac etiam ſaepe uſque adeo ſecernitur, ut miſera, facti impatiens detrimenti, viribus defecta, animam magno ſub malo trahat. Neque vero non fuerunt viri, quibus ubera lacte ſcatebant. Mihimet dudum notus fuit, qui adoleſcens ſanguinei omnino erat temperamenti, quique jam quinquegenarius duas treſve uncias lactis e mammis ſuis exprimere potuit. Fortaſſe haud multum vero abhorret, pleroſque tales fore huic claſſi annumerandos.

Excretiones commodiſſime procedunt. Corpuſcula per inviſibilia foramina libere manant; alvus, niſi ſiquid praeter ſolitum acciderit, nunquam dura moratur; urina ad modum profluit;

profluit; menſtrua ſatis bene reſpondent, interdum immodica feruntur.

Facies eſt plerumque nitida, floridique coloris. Sanguis profecto quam celeriter crebroque, nervoſo genere nimirum valde irritabili, atque indole adeo iracundiſſima, ad caput verſus movetur; hinc tota facies collumque, vaſculis bene multis ſubter tenuem cutem completis atque adauctis, fiunt rubicunda et turgida. Crediderim vero colorem ſubflavum, quem aliquot proprium ſanguineae temperaturae judicarunt, potius eſſe fortuitum atque alienum. Saepenumero quidem certa hujus illiuſve corporis ſigna alii quoque cuivis inſunt: Ita, verbi cauſa, rubri crines, praecipuum temperationis ſanguineae argumentum, ei nonnunquam rigiditati fibrarum iſtique imperſpicuo ingenio, quae melancholicam deſignent, adeſſe videantur.

Cutis perquam laevis, mollis, candida, et calida, nebulae inſtar lineae obtenditur venis, quae frequentes, majores, colore caeruleae, ſubtus diſcurrentes apparent; eadem porro, filis quippe nervorum ſubtiliſſimis intertexta, tactum vel leviſſimum ſentit. Caeterum non praetereundum eſt, cutem, quae in noſtro orbe plerumque aut ſemper talis ſit, in compluribus Continentis regionibus multum variare, inque harum nonnullis indolem illi comitem clarius enite ſcere. Dictum fuit,

"*Latiores venas deberi calori* *;"

id quod non probabile; quoniam eas in temperamento melancholico, ubi frigus praevaleat, anguſtiores fore neceſſe erit.

Capilli

* Hippocr. apud Gal. de Temp.

Capilli fere ſunt rubri, et tum notae cutis, circuitus, &c. ſupradictae maxime apparent; iidem autem ſaepe fuſci, flavi, ſubflavi, atque interdum albi; tum vero caetera indicia minus inſignia, atque indoles nonnihil diverſa.

Denique, oculi ſunt hilariores, caerulei, aut ſubnigri; horum autem acies ſaepe clara luce facilius praeſtringitur *.

Poſtremo, homines hujus corporis clariſſimis expoſiti ſolibus, aut foras egreſſi, dum prata canis albicant pruinis, ſternutamentis tuſſique, propterea quod inſtrumenta harum actionum ſint admodum irritabilia, infeſtari ſolent.

Haec fere ſunt ſigna, ex quibus hocce temperamentum intelligere omnibus in promptu ſit.

Nunc vero aliquod indolis huic comitis ſpecimen dare viſum eſt.

Homo temperamenti omnino ſanguinei indole ſingulari praeditus eſt. Fere uſquequaque vultu renidet; id quod expreſſius laetum animum ſimulat; ludi, riſiones, joci, maximopere cordi ſunt; voluptates, atque eae intemperatiſſimae incredibiliter delectant; quandocunque agit, idque ſaepe ineptiſſimis de cauſis, nimio pene opere agit.

Plurima

* La vivacité et le feu qui font le principal caractère des yeux, eclatent davantage dans les couleurs foncées, que dans les demi-teintes de couleur; les yeux noirs ont donc plus de force d'expreſſion et plus de vivacité, mais il y a plus de douceur, et peutetre plus de fineſſe dans les yeux bleus; on voit dans les premiers un feu qui brille uniformément, parceque le fond qui nous paroit de couleur uniforme, renvoie partout les mêmes reflets, mais on deſtingue des modifications dans la lumière qui anime les yeux bleus, parcequ'il y a pluſieurs teintes de couleurs qui produiſent des reflets differens.

BUFFON.

Plurima imaginationibus, iiſque ſaepe extra veri cancellos egreſſis, agitat; unde, quadam ſimilitudinis ſpecie captus, haud raro aliena eloquitur.

Omnibus affectionibus, alia alio tempore, imo ſaepenumero ſingulis horae momento, cor micat; ex ſpe ad timorem, ex aegritudine ad gaudium, ex triſtitia ad hilaritatem, ex anxietate ad laetitiam temere raptatur.

Quod petiit, ſpernit; repetit, quod nuper omiſit;
Æſtuat, et vitae diſconvenit ordine toto.

HOR. Epiſt. I. 1. 98.

Una quidem foemina haud ſane diu calet; quippe qui, ſincerae voluptatis caſti amoris inſcius, in vago concubitu facit delicias libidineſque.

Mala caeci amoris ſui, aut bona verae ac vetuſtae amicitiae, neutiquam ſentit; quippe cujus odia amicitiaeque, velut nictantia fulgura flammae, naſcentia moriuntur. Jucundus ſemper eſt ſodalis, facillimis commodiſque moribus, ſimplex, apertus; amori ſuo praeſenti nihil non largitur.

Vehemens autem, iracundus, impatiens morae, dubius animi, ludibrio eſt vagae volubilique fortunae. Saepenumero huic credentes ſpei remoratae taedet, imo etiam, quod aliquid crediderint, ſero poenitet. Hunc certe ipſum, ſi modo facinorum recordari aut voluerit aut potuerit, non ſolum pigeat ſtultitiae ſuae, ſed etiam pudeat neceſſe eſt.

Ad ſummam, ab acerrima atque attentiſſima cogitatione, a rebus maximis, quantulocunque caſu incidente, abripitur; et hoc ipſo jam praetermiſſo, et ſimul illis e memoria elapſis, in aliquot tempus nec cor, nec caput habet. Verumenimvero

naturali

naturali plerumque acumine pollentior, ratione ſcilicet temporis, quo animum ad quodlibet acriter intenderit, habita, multo longius proſpicit, minuſque a perfectione abeſt *. Sed haec hactenus.

Homines autem hujus notae morbis patent quam plurimis, iiſque fere curationem difficilem habentibus. Quotuſquiſque neſciat illos eſſe procliviores ad inflammationes, ut rheumatiſmum, quaſdam febres, anginam, &c. ad haemorrhagias, compluriaque mala nervoſi generis, ut hyſteriam, dyſpepſiam, &c.?

Jam vero in hoc tanto tamque immenſo campo, ubi rei medicae ſcriptores curſum ſui quiſque ingenii atque induſtriae peregerunt, paucula duntaxat de haemorrhagiis, phthiſi, ac dyſpepſia, colligere lubet.

Morbi inflammationem habentes, alii alio tempore; aliqui enim, ut quaedam anginae ſpecies, ineunte aetate; nonnulli, ut pneumonia et rheumatiſmus, fere poſt, rarius ante puberem adveniunt.

Haemorrhagiae, quae activae audiunt, multo frequentius accidunt hominibus temperamenti ſanguinei, atque iiſdem frequentiſſime, in quibus arterioſa plethora ſuperet. Primas origines accipiunt ex ſanguine inaequaliter diffuſo, unde nimirum congeſtus ac diruptio; vere plerumque aut aeſtate nova infeſtant; inſtantes varia dant ſigna; eaedemque ſemel obortae, ſibi ipſae, utpote plenitudini faventes, interpoſito aliquo ſpatio, reditum pariunt. Quippe vaſa, ſicubi nimis diſtenta fuerint, atque effuſione deinde relaxata, facilius iterum ſanguinis congeſtum patiuntur, atque adeo eaſdem notas ac antea exhibent.

* Greg. Comp. View.

Haemorrhagiae porro certis in membris et quibusdam aetatibus saepius fiunt.

Naribus quidem internis, sensus ergo odoris, tela quaedam cellulosa, eaque tenui atque infirmo tegumento obducta, adest; sanguis deinde ante puberem aetatem ad caput versus maxime pellitur, eo quod hoc in primis suam, totius nempe ad commoda compaginis, sortiatur molem necesse est. Quae cum ita sint, tum, si qua plenitudo id aetatis orta fuerit, nasi vasorum diruptio citissime omnium ex opinione praejudicata futura est; id quod res ipsa indicat.

Epistaxis quavis aetate in aliquot morbis inflammationem habentibus, ubi scilicet sanguis solito magis ad caput pellitur, accedit. Interdum sub constantem aetatem invadit, ac tum ad nimiam universi corporis plenitudinem, aut consuetam sanguinis nasum versus incitationem, aut certe imbecillitatem, hujus vasorum referenda sit. Nonnunquam etiam vergentibus in senium annis occupat, et tum ab venosa plethora pendet. Natura ita comparatum esse videtur, ut venae capitis reditum sanguinis ab hoc ipso morarentur. Si quando igitur plenitudo, aetate procedente crescens, ingens evaserit, tunc arterioso sanguini obstatur, et haemorrhagia fit aut ex naribus aut in calvariam. Caeterum posterius observatur, saepius hominibus temperamenti melancholici accidere, quippe qui venosa plethora maxime omnium abundent.

Si quidem plenitudo, homine summum aevi attingente florem, in universum fiat, haec fortasse pulmones in primis semper afficit; quippe jam, singulis aortae partibus modum suum ordinemque obtinentibus, ratio actionum aequabilis inter horum vasa et reliqua totius corporis versatur; ideoque haemor-

rhagia

rhagia frequenter ex ipſis, quanquam ſat bene compoſitis, oboriri poteſt.

At vero haemoptyſis frequentius fluit ex pulmonum vaſis haud aequa magnitudine ad corporis reliqua conformatis. Hinc ſaepe nativum eſt malum; hominesque ſanguinei temperamenti, praeſertim ſi quibus corpora ſint tenuiora atque irritabilia, compreſſa pectora, humeri gibbi, cervices longae, ingenii denique celeritas, vexare ſolet.

Haemorrhoida quoque atque epiſtaxin ſuppreſſam non raro excipit; necnon et foeminis, quibus menſtrua non feruntur, evenit; ſub hoc autem caſu, ſi ſigna proclivitatis abſint, nullum fere periculum eſt.

Compluria inſuper, ut externa vis, vehemens reſpirationis niſus, &c. hanc proclivioribus facile movent.

Tandem aliquando, ſive nimio ſanguine ſubito profuſo, adeoque viribus proſtratis, ſeu vomica pulmonibus facta, exitiabilis evadit.

Jam vero malis ſupradictis, quibus homines hujus ordinis opportuniores ſunt, remedia quaedam ſubtexere convenit.

Miſſio certe ſanguinis ſola, ut notum eſt, vena frequenter inciſa, haemorrhagiam alit; id quod D. Cullenus late quidem et dilucide expedivit *. Enimvero ſcalpelli conſuetudo nil niſi quid brevis auxilii affert; quia, iiſdem etiamnum ingeſtis, et vaſis, quae excernant, plus nimio contractis, ſanguis profecto iterum ac ſaepius ſuperat, eaedem moleſtiae repetunt, et aut priſtino allevamento inutili indulgendum eſt, aut eruptio ex aliqua, periculoſa fortaſſe, parte naturaliter properatur.

Hic autem revera nihil omnino niſi ratio victus atque excitantium cauſarum fuga neceſſaria eſſe videantur. Vitio quidem

* Firſt Lines of the Practice of Phyſic, DCCLXXVI. &c.

dem plenitudinis temperantia atque exercitatio occurrunt. Hanc vero curationem, ſimpliciſſimam ſane, homines, de quibus agitur, utpote rabidas delicias ſemper captantes, protinus inter initia fortaſſe adhibere nolunt; at poſtea illis ipſis, dolorem expertis, facile perſuadebitur, ut, nimiis magna ex parte reſectis, iſtas ſaltem res, quae apud medicos audiunt occaſiones, fugitare velint. Quarum quidem praecipuae ſunt calor externus ac quaedam animi perturbationes. Prior adoleſcentibus iiſque plenioris habitus ſaepe epiſtaxin excitat; quocirca expedit illos prohiberi exercitiis, quae corpus valde calefaciant, unde ſanguis plus ſpatii tenet, praepropere circumagitur, naſique vaſa, utpote infirmiſſima, aut certe majori impetui opportuniſſima, rumpi praecipue periclitantur.

Ira atque alii affectus animi concitatiores, ſanguine nimirum praecipitato, atque ad quaſdam partes violentius impulſo, quam plurima mala, ut phrenitidem, hepatitida, febres, &c. movent, totumque corpus adeo afficiunt, ut contagioni aliiſque noxiis magis obvium evadat. Quamvis enim morbi rarius fortaſſe inter perturbationem animi dominantem invadant, attamen conſtat, quo vehementior ſit commotio, eo majorem inſequi collapſum, adeoque plus periculi inſtare.

De *phthiſi* deinde, tot noſtratibus mortifera, quippe hominibus ſanguinei temperamenti ſaepius inſidet, pauca repetere licebit. In praeſentia certe ex me, qui ingenio, diſciplina, uſuque parum poſſum, nihil novi ſperari poteſt ſuper materia, quae, alta adhuc caligine latens, vel conſultiſſimos atque experientiſſimos fatigat.

Operae plane non eſt indicia, plus nimio cognita, referre.

D. Mortonus ait, ſummam pectoris gravitatem, quae in phthiſi ſentiatur, deſtillationi abeſſe. In hac quoque vomitus

poſt

poſt cibum rarus; aeger porro in alterutrum latus molliter cubat, id quod in illa rarius fit; in deſtillatione denique mucus, in phthiſi autem pus exſcreatur; de quorum utriuſque proprietatibus D. Cullenus unus ſit nobis inſtar omnium *.

Peripneumonia notha, upote quae homines praecipue ſeniores, eoſque plenioris phlegmatici habitus, adoritur, necnon vertigine, ſtupore, ſummoque capitis dolore comitatur, facile phthiſi dignoſci queat.

Remotae phthiſios cauſae tam proclivitatem a parentibus traditam, quam occaſionem iſti lenocinantem complectuntur. Prior quidem dimidio plus valere putatur; quae autem haec, qualiſve ſit, prorſus neſcitur: latet fortaſſe obſcuritate involuta naturae. Interdum, ſicut quaedam animorum ſpecies, uno, altero, pluribus ſeculis ceſſat, verum denuo in poſteris et ineſt et victrix viget. Caeterum fortaſſe aliquis haud temere dicat, fieri poſſe, ut, conjugiis dedita opera inſtitutis, morbi, quos haereditarios vocant, procedente tempore, aut minuerentur aut tollerentur.

Corpora autem citius afficiuntur gracilia, compreſſi pectoris, et colli longioris, magiſque ſi ſcapulae macrae prominent, ſi intortae tibiae ſunt.

Nati porro parentibus, qui olim ſtrumoſi fuerant, periclitantur; hinc phthiſis ſtrumae frequenter accedit.

Denique, integri candidique dentes ſigni eſſe aliquid putantur. D. Foart Simmons ait, horum tabe abſumptis nullos unquam eſſe carioſos. Vidi egomet hos, jure haereditario obnoxios, qui evaſerant, dentes habere peſſimos, contra vero illos, qui perierant, bonos quidem, ſed duntaxat bonos.

Inter

* Firſt Lines, § DCCCLVI.

Inter caufas phthifin excitantes haemoptyfis vulgo numeratur; hanc autem vomica et hectica febris, in quibus ipfa praefertim confiftere videtur, licet crebro, non femper tamen, excipiunt. Pulmonum certe vafa, ficut narium, poffunt fanari, ut chirurgi loquuntur, *prima intentione;* aft ubi diruptio eft magna aut frequens, vel ruber fanguis effufus, in bronchiis nempe ftagnans, et nonnihil acrimoniae concipiens, erodit, tunc demum ulceratio plerumque infequitur. Caeterum haemoptyfis proclivitati fuperveniens fere in tabem abit.

Suppuratio ex pneumonia hic quoque memoratur; interdum vero aliter evenit. Nam, corpore incolumi ac firmo, et materia miti, nulla nova tentatione febreve excitata, materia facile exfcreatur, ulceratio fanefcit, homoque in priftinum reftituitur. Caeterum, fi phthifis ex vomica oriatur, neceffe eft adeffe, quae materiam vitiant, inutilem fanando reddunt, fimulque acrimoniam quodammodo pariunt, quae demum abforpta hecticam ejufque mala adducit *.

Deftillatio porro atque afthma fpafticum, utpote quae tubercula aut gignunt, aut genitis inflammationes excitant, huc referuntur.

Tubercula frequentiffime omnium pro caufa apprehenduntur; eademque vulgo putantur effe quafi ftrumae, quippe quae faepius oriuntur in corporis habitu ftrumofum referente atque in ftrumoforum liberis; necnon quia glandulae externarum partium tumidae phthifin comitantur; denique tabes mefenterica, affectus plane ftrumofus, faepiffime phthifi accedit.

Obfervatum eft etiam, exanthemata, acrimonia nimirum apta tuberculis formandis fuggefta, eodem tendere.

Aliquot

* Gaub. et Cullen.

Aliquot praeterea acrimoniae ſpecies, quales ſint ex ſcorbuto, ſyphilide, exanthematis repulſis, pure abſorpto, &c. idem fortaſſe agunt; de his autem nihil adhuc liquet.

D. Cullenus, graviſſimae cujus auctoritati interpoſitae nihil reverentiae unquam omnino non debetur, narrat, ſe animadvertiſſe phthiſin, natam ex materia in pulmonibus calcaria, quae frequenter exiguo cum ſanguine, interdum muco ſolo, nonnunquam etiam pure extuſſiebatur. Quomodo autem haec gignatur, aut ubi loci pulmonum praecipue inſideat, ſeſe neſcire profitetur.

Cohibitae exinanitiones hujuſcemodi fuerunt habitae. Suietenius meminit hominis quinquagenarii, qui per tabem ex diutina haemorrhoide temere impedita conſumptus eſt. Junckerus nominat quoque menſes ſuppreſſos; unde fit, eodem auctore, ut phthiſis foeminas ſaepius, quam viros corripiat. Veri autem ſimilius eſt, ut D. Fothergillius autumat, iſtos potius conſequi, quam praeſtare malum, atque aliud eſſe cauſae, quod frequentius (ſi forte frequentius) illas, quam hos invadit.

D. Hoffmannus, cui D. Mortonus adſtipulatur, notavit, phthiſin eſſe in Auſtria inferiore, ubi fortia vina plus aequo bibuntur, vitium vernaculum.

Denique, frigus, animi perturbationes, inquieta et negotioſa cogitatio, concubitus vinique nimis, mechanica pulmonum irritatio, &c. annumerari poſſunt.

Poſtremo, corporibus tranſitione noceat, necne, incertum eſt.

Nihil quidem certi, phthiſi incipiente, et eadem inveteraſcente, nihil non mali praeſagire licet.

Sanatio

Sanatio plena, caufis adeo incognitis, raro efficitur; ordo tamen curationis triplex indicari poteft.

I. Quo inflammatio prohibeatur,
- α. Sanguinis miffione,
- β. Cibis lenioribus, tenuique victu:

II. Quo impetus fanguinis ad pulmones verfus minuatur,
- α. Manantia corpufcula per invifibilia foramina cogendo,
  - 1. Contra frigus omne veftiendo,
  - 2. Commoda exercitatione citra fatigationem;
- β. Veficatoriis thoraci admotis,
- γ. Fonticulis aut fetaceis:

III. Quo moleftiae leventur,

ut Tuffis,
- α. Soporiferis,
- β. Mucofifque medicamentis;

Diarrhoea,
- α. Aftringentibus,
- β. Soporiferis,
- γ. Fructibus denique acidis.

D. Elliot dudum innotuit phthificos miffo fanguine curando; quoufque autem aegros expedierit, experti teftentur.

Lichen Iflandicus hic laudatur. Phthifi, Bergio auctore, pulte ex eo et lacte facta, quotidie ad duas libras ingefta, occurfum fuit. Lichen natura purgare valet, fed aqua maceratus non item.

Bergius

Bergius porro praecipit, ut cortex Peruvianus, quo tempore inutilis erit devorando, ventri adhibeatur; imo etiam teſtatur hunc ipſum ingeſtum, ſanguine in patera cruſta ex inflammatione obducto, nihil omnino nocuiſſe.

Solano, medicus Hiſpanus, et Fouquet in Gallia, terram pro balneo utendam edicunt, id quod fortaſſe nimis durum delicatioribus in Britannia foret.

Denique, protinus inter initia aeger debet peregrinari, ſeſe navigationi committere, diutius ſub coelo molliori ſalubrique morari.

Vis quidem coeli in corpora humana, praeſertim ſanguinei temperamenti, eſt maxima. Homines certe hujuſcemodi minus patientes frigoris; hinc nulli, aut admodum pauci in plagis, quae magis ad ſeptentriones ſpectant, ubi plurimum hiems occupat, atque exercitationes ſunt laborioſiſſimae, tales exſiſtunt. Neque vero Europaei hujus claſſis fruuntur proſpera valetudine in locis aeſtuoſiſſimis; genere enim nervoſo omnino irritabili, circuituque ſanguinis rapidiſſimo, citius afficiuntur, pereuntque febribus, dyſenteriis putridis, aliiſque innumeris fere morbis indigenis. Quod ſi forte fortuna ſuperaverint, eheu, quales, quantum mutati! dimidium ſui amiſerunt, oſſa atque pellis toti ſunt.

Caeterum commoda coeli mutatio, quod eſt, tranſitio non ex aeſtuoſo in algidum, viceve verſa, aliquoties plurimum in phthiſicis proficere et valere poteſt. Madera, verbi cauſa, inſula ſaluberrima noſtratibuſque aptiſſima, praecipue omnium in ejuſmodi caſu petenda eſt.

Inter remotas dyſpepſiae cauſas, a D. Culleno recenſitas, nominantur perturbationes animi omnigenae, nimiuſque concubitus.

Ex ſupradictis intellectu facile eſt, homines ſanguinei temperamenti, vel partim hujus, partim phlegmatici, iſti malo fore opportuniſſimos. Affectus quidem effraenati, ut ira, vehementer labefactant; nihil enim pariter ac tranquillitas, id eſt, placida quietaque conſtantia, ſalutem fulcit.

Quid autem mali venus frequentior faciat, in promptu eſt. Nihil omnino invenitur magis hoc certo certius, quod nimia ſeminis, liquoris adeo elaborati, profuſio totum corpus, in primis autem, ut videtur, ſtomachum reſolvit. Quo magis veneri intempeſtivae indulgetur, eo acriores ſtimuli, pluſque juſto excernitur; unde neceſſe eſt, aliquibus ſemper decedentibus, nullis vero in eorum locum ſubeuntibus, ſumma imbecillitas oriatur. Lycurgus ſane, ſapiens ille legumlator, et corporis et mentis etiam robori quam optime in longitudinem conſulens, jure cum primis ab hac peſte praecavit *.

Etſi dyſpepſia, hypochondriaſis, ulceratio ſtomachi, pylori ſchirrus, quaedam fortaſſe ſimilia ſunt, attamen, notis ſingulorum rite obſervatis, diſtingui poſſunt.

Aliquot quidem viri haud mediocres exiſtimarunt dyſpepſiam eſſe duntaxat leviorem hypochondriaſin. Alii autem, quorum magis ſententiae ſum, re vera inter ſeſe differre arbitrantur.

Prior occupat adoleſcentes ſanguinei temperamenti; poſterior ſaepius adultiores melancholici, inque his aetate procedente increſcit; illi inter initia certe omnis vehemens animi affectus ſemper abeſt; huic idem fere nunquam non adeſt. In dyſpepſia porro languor et timiditas dubia, facile depellenda; in hypochondriaſi vero moeſtus, aſſiduus inſidens metus mali

* Plutarch in Lycurg.

mali inſtantis, qui pectus penitiſſimum inſinuavit, dominatur. Prior deinde ſaepe eſt alterius affectus acceſſio; poſterior autem fortaſſe ſemper morbus ipſe primarius; illa denique, utpote oriens ex debilitate multigena, frequens; haec contra, ſuo proprio temperamento naſcens, rarior eſt.

Ulceratio ſtomachi facile dyſpepſia ex debilitate orta dignoſcitur; namque ibi dolor eſt certus, atque aliqua materia calida aut acri devorata magnopere augetur.

Homo, dum ſcirrhus in pyloro gignitur, aſperrimis ſaepe cruciatibus, frequenti vomitu, eoque magis poſt cibum, afficitur. Tumor porro ipſe magis minuſve tactu ſentitur.

Nunc vero adverſus dyſpepſiam majus ex victus ratione, exercitatione, remotiſque cauſis vitandis, quam ullis medicamentis praeſidium petendum eſt. Vomitu autem, ventriculi cordiſque dolore, alvo adſtricta, inflatione, et ventris ſonitu urgentibus, talia, quae demulceant, ſomnum inducant, acidum doment, alvum ſolvant, ſpiritum digerant, quaeque aromatica audiunt, adhiberi conveniet. Quo vis ſtomacho reſtituatur, ſtimulantibus atque intendentibus utendum eſt.

Exercitatio eſt apprime utilis, quia firmat totum corpus, praecipue ſtomachum. Corpuſcula ſane per inviſibilia foramina manare cogit, actiones vaſorum in ſuperficie, atque ex conſortio fibras ſtomachi inciat. Navigatio maxime ciborum appetentiam praeſtat. Exercitationis finis debet eſſe citra fatigationem, ideoque equitatio magis ambulatione, imo fortaſſe omni alio exercitio convenit, quippe quae, viſcera pendentia ſcilicet magis afficiens, actiones inteſtinorum melius adeo excitet.

Quo itineri ad ſuperficiem libero faveatur, laneo induſio opus eſt.

Aër frigidus corpori externo admissus, utique si simul exerceatur, tensionem mirifice reparat. Lavari quoque gelida, utpote quod eodem ac exercitatio valet, plurimum prodest.

Cibus debet esse plenior; carnes praecipue edere oportet, easque coctas, quomodo offulae bubulae torrentur; id quod modice stomachum excitat. Liberali potione humoris, *Porter* dicti, nec non paulo vino Maderensi vel rubro Callensi subinde interposito, utiliter saepe succursum est.

Quid tandem dubitemus affirmare, morbos, quibus homines sanguinei temperamenti opportuniores sint, posse, proclivitate etiamnum substante, arceri temperantia, quod est, modo rerum omnium servando.

Liquores stillaticii pene ex toto circumcidantur; laboriosas exercitationes omnino effugi oportet; carnibus, utpote quae plenitudinem atque inflammationem invitent, parcissime vescendum est.

Efficiendum autem est, ut voluptatis appetitus rationi obediant, sintque tranquilli, atque omni animi perturbatione careant.

Immunda illuvies cane pejus et angui vitetur, ideoque omnia singula membra saepissime abluantur multa gelida aqua (calida enim est aliena) necesse est *.

At

* To fortify their bodies, some frequent
The gelid cistern; and, where nought forbids,
I praise their dauntless hearts. A frame so steel'd
Dreads not the cough, nor those ungenial blasts
That breathe the Tertian or fell Rheumatism:
The nerves so temper'd, never quit their tone;
No Chronic languors haunt such hardy breasts.

At enim, phlogiſta diatheſi imminente, frigida lavari debet quam cautiſſime; inflammatione vero, viſcerum ſcilicet, exiſtente, nullo quidem modo; quippe quia ſanguis inter lavandum ad inteſtina cogitur. Adeo lavari, dum inflammatio occupat, alienum videtur; ſiquando autem morbus, ut lippitudo, rheumatiſmus longus, fibrarum pendeat remiſſione, tum non parum adjuvat.

Denique, homines ſanguinei temperamenti, veneris nempe voluptatium ſtudioſiſſimi, ſaepe in ſua propria mala incidunt, unde longe ante diem ſubit illud rabidarum deliciarum, "non "ſum, qualis eram!" pubertas exhauſta, frigentque in corpore vires, caeteriſque infractis, vitalitas ſolo in corde moratur. In ejuſmodi caſu, ut corpori et viribus redintegratio quodammodo ſubrogetur, ante omnia, niſi quid obſtat, gelidis perluendum eſt undis.

Poſtremo, memoratu dignum eſt, quod homines hujuſcemodi purgationibus tutius exinaniuntur; in illis quoque medicamenta plus valent, ideoque minora pondera ſufficiunt.

DE

* * *

By arts like theſe Laconia nurs'd of old
Her warlike ſons: and Rome's unconquer'd legions
Urg'd their way, unhurt, thro' every toil,
In every clime!

ARMSTRONG.

Durum ab ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſaevoque gelu duramus et undis.

VIRGIL, Æn. ix.

DE MELANCHOLICO TEMPERAMENTO.

En alterum, aliis gratiosum, ipsi, cui evenerit, minus utile. Hoc quidem priori dissimile, imo pene contrarium est.

In hoc autem torpor nervosae vis pariter, atque irritabilitas in illo, dominatur. Solidae partes sunt firmius compactae et robustiores; corpus saepe macilentum; musculi apparent; membra valida ac torosa; vastae corporis vires, veloci quidem celeritati motus flexuosi inhabiles, aptissimae vero ad luctandum molimine magno; vultus subfusci, nullo frigore aestuve mutabiles; cutis crassa, hirsuta, subpallida, impressionem extrinsecus minus sentiens; Rete Mirabile densum lentumque; supercilia atque oculi nigri, cuicunque acies intenditur, haud temere flectendi; crines nigri, duriores, crispi; venae magnae apparent; arteriae parvae; pulsus lentus plenusque; circumactio sanguinis, quippe fortasse crassioris, cunctantior; spiritus tardus atque ex alto attractus, haud facile crebrior; et secretiones et excretiones parcae, aliquando deficientes; alvus dura moratur; urina longis ex intervallis redditur, ex qua quod desidit, saepe arenosum est; os siccum et quodam quasi viscoso ex salivae defectu oblitum; hic denique sanguis per venas abundat.

Postremo, hic mores citius senescunt, ut homines prius dicti longius juvenantur.

Homo melancholi temperamenti est indolis pluribus de causis mirificae. Quo etiam puero, licet alicui introspicienti

deprehendere

deprehendere virtutum quasi igniculos et semina, quae haud ita multo post, ventilante doctrina, palam et ante oculos omnium sunt exoritura. Vivida vis animi maturius emicat, sensaque mentis tali illustratione atque evidentia exprimuntur, qua ipsi seniores stupeant.

Nucibus relictis seria quaerit. Animo prospicit novitque, sibi mox prodeundum esse ad civilibus officiis fungendum, ideoque, postquam excessit ex ephebis, a sodalitatibus leviorum sese abducit, recedit in seipsum, secum felix habitat, totusque in longitudinem consulit.

Nunc vero, robore corpori animoque sumpto, voluptates, risiones, joca, quibus homo sanguinei temperamenti gestit, nihil sibi moratur, nisi quatenus altioribus inserviant. Est quidem inscriptum in ejus et corde et fronte, " homo, res seria!"

Sese frequenter, religione plerumque citius insidente animo, removet a negotiis humanis; fugit profanum vulgus; per seductos recessus spatiatur meditabundus; hunc solem, et stellas, et decedentia certis tempora momentis, terrae marisque munera, pietatis abundans contemplatur; opificem ex operibus agnoscit, mirabundus adorat; summo cum ipso Deo colloquitur, plenoque Numinis pectore turbidus laetatur.

Jam vero fit agilis, atque obit munia vitae. Iste versus et in pectore, et in ore est, " homo sum, humani nihil a me alie- " num puto." Habet in commune quod natus est. Æquum justumque colit. Imo etiam ex suamet constitutione miserius est vel insectis minimis inter ambulandum nocere, quam laedi, atque hujus imperio semper paratae sunt ad juvandum manus. Saepenumero opus est in rerum vicibus, quum sentias tantas conversiones aut fragilitate mortalitatis, aut fortunae mobilitate factas, habere, quicum cogitationes, curas, dolores

partiaris,

partiaris, qui ſimili nutu ac renutu reſpondeat votis tuis; hanc ad rem nemo homo magis poteſt eſſe idoneus.

Cautiſſime ad amicitiam aliquem adſcribit; poſtea vero ad mortem uſque cernitur coiiſſe non modo ſalutis, verum etiam periculi ſocietatem.

Maxime omnium virorum ſolet illam, cujus forma moribuſve captus fuerit, affectu amiciſſimo, perpetuo, diligere, amplecti, amare.

Magnanimus porro eſt; nil ſervile habet; valet viribus judicii; cogitationes ad unum aliquid omnes diutius intendere poteſt; tenax propoſiti; imperio alterius obſequi neſcit; nunquam ſuſcepti negotii eum pertaeſum eſt; imo etiam ſaepe uni alicui unice inſiſtit, quoque ſemel commotus eſt, affectus patientiſſimus; ſtudiis doctrinae perſpicax immoritur; ſuperſtitioſa, in religione praeſertim, facile concipit, adeoque fanatico errore inflatur; occupationibus gaudet ſedentariis, unde multum mali patitur; tarde in iram accenditur, injuriam quippe, factam ſibi aut machinatam, ignorantiae, non vitioſitati tribuit; ſi quis autem, ſurdus monenti, defendere, iterare delictum, quam vertere malit, tum demum ipſe iraſcitur, ſcintillant oculi, illi frons caperat ſeveritudine, dentibus frendet, ex ore ſpumae moventur, totus face ſuppoſita ferveſcit ſanguis, reuſque delicti, niſi fefellerit fugeritque, in praecipiti eſt; adeo, ſemel irritatus, ultor et vindex conſtantior, ſuperbus, inexorabilis, niſi quid rari ac prope inſoliti contigerit.

Immaniter potius, quam vivide imaginatur; tardiuſculus in accipiendis, quae traduntur, diſciplinae autem tenaciſſimus; ac plerumque in iſtis artibus, quae quaſi cognatione propinquiore inter ſe continentur, nec hoſpes, neque ignarus verſatur.

Cautio

Cautio quaedam ac timiditas continenter fere animum urgent; hinc, frequenter in ſolitudinem abditus, dat ſe moerori, ſoletque de humano genere peſſime ſentire; feracius nempe hominis ingenium plorat, tanquam imbecillum, quam arctiſſimis cancellis circumſcriptum, nullaque ratione ſatis bene ampliandum; univerſas deinde facultates quales eae cunque ſunt, neceſſitatibus tolerandis diſtrictas, quo tandem miſer ſpiritus trahatur; ſtudium denique et curam de argumentis quibuſdam nihilo magis, quam fidei obſtinationem, ſeu auctoritatis reverentiam aeſtimat.

Animus porro fortius inclinatur, ut priora recordetur; id quod complures fingit miſeros. Subinde amicum abſentem, aut amicam crudeli fortaſſe funere extinctam reminiſcitur; illos apriciores dies Halcyonidas cum hiſce maximis moleſtiarum et turbulentiſſimis tempeſtatibus comparat, ac nihil mali non intuetur; gravi otio languet; tarda fluunt ingrataque tempora; ſolatia admittere non vult; angoribus conficitur; ſibi ac ſuis diffidit fortunis. Interea autem ex inſperato nonnunquam pertenuis affulget ſpes, atqui illico abit, ipſeque eodem loci revolvitur. Saepe denique atra bile ingemit, aut impatiens, ac ſe ſui juris eſſe ſimulans, licet juſſus in vitam venerat, injuſſus decedit.

Dici vero poteſt, nec abſurde, melancholicam animi temperiem pendere ex firmiore in cerebro ſubſtantia medullari, quae et ipſa, utpote ſua propria natura levior, talis ab humore quadamtenus abſente eſſe videatur.

Enimvero animus hujus tenoris paulatim fit magis magiſque ſeverus, tardus, cautus, et ſtabilis ad ſenectutem uſque, ubi demum auſterus, meticuloſus, ſuſpicax, atque obſtinatus evadit. Quod quidem miſerius malum opera ſedentaria, ani-

mi aſſidua et vehemens occupatio accelerant, propria corporis vitia alunt, atque iſtam nervorum conditionem, infractionem quandam animi, et demiſſionem arceſſunt, unde vita aegro eſt oneri, aliiſque inutilis. Haec autem omnia nihil pariter ac motus atque exercitatio corporis modica, frequens avocatio ab negotioſa cogitatione, arcere valent. Nimia ſane intentio in aliquid directa non ſolum vires corporis, ſed ingenii quoque comminuit; remiſſionibus vero commodis una ambo renovantur.

Homo melancholici temperamenti plerumque praeditus eſt magna mente, quae, forte ſua ſaepius ad ſpectandum, quam ad agendum appulſa, cito ſeſe infirmam atque impeditam agnoſcit. Exiſtimans ſane nihil melius, quam omnia ſcire, ſingula rerum lynceis oculis contemplatur, adeoque difficultates quamplurimas, a vulgo quidem praetermiſſas, ſibi inſuperabiles offendit. Hinc neceſſario nihil aut non fere multum decernit, nihil conſtituit, ſed in quaerendo ſemper conſiderandoque eſt, id quod hilaritatem eripit, atque, omni ſpe meliorum praeciſa, obſtat atque officit auctibus artium ſcientiarumque.

Quae cum ita ſint, nil mirum, ſi, triſtitia praeſertim atque acerbitate urgentibus, acumen interdum deliret quodammodo, agatque nonnulla, quae aliis abſona rationi atque abſurda eſſe videantur.

Dum porro haec animi ſpecies dominatur, ut in temperamento plane melancholico ſolet, cogitationi hujus illiuſve materiae adeo indulgetur, ut mens, iſti ſolummodo plus nimio intenta, demum fatigetur, argumentatio claudicet, et ſententia a conſuetudine communis ſenſus abhorreat; verum interea nihil de aliis praeter ſolitum ſentiat cenſeatve. Simul

denique

denique metu, in ſpeciem vano quidem, ſed acerrimo, tentatur. Quae ambo, falſum ſcilicet judicium de quavis certa re, omnibuſque ad eam pertinentibus, una cum vano metu, ſunt inſania illa, *melancholia* dicta, omnino ab compaginis temperamento oriunda.

Sed quibus terminis melancholia ſepta teneatur, non eſt expeditiſſimum ſcire, quippe quae ſemper fere caeteras facultates conturbet. Homines hujuſcemodi, utpote natura ad metum proclives, quibuſque ſemel commoti ſint, affectuum patientiſſimi, opportuniores ſunt cuidam ſolicito timori, qui recta fortaſſe ad hoc inſaniae genus procedat. Ita certe D. Cullenus, ingenioſiſſimus noſtri ſeculi medicus, aggreſſus eſt rem explicare *.

Qui ab hypochondriaſi diſtinguitur, ſupra propoſitum eſt.

Conditionem vero cerebri ante memoratam, ut cauſam, fortaſſe proximam, inter morbum revera exiſtere intelligitur, tum ex totius corporis rigiditate, tum ex mortuis ab mania, quae ſaepe nihil aliud eſt, quam major ejus gradus, inciſis, ubi haec ipſa conditio fuit deprehenſa.

Eaedem fere cauſae et melancholiam et hypochondriaſin excitant, de quibus poſtea dicendum eſt.

Curatio quidem aut omnino, aut magna ex parte, a mentis regimine pendet. Exercitatio, qua tenſionem reſtituit, aliena eſt; ſed delectationis cauſa optime proficit. Alvum moventia proſunt; nec non lavatio calida ad fibrarum rigiditatem facit. Peregrinatio, utpote quae, grata varietate objecta, acrem atque intentam cogitationem diſcutiat, ſaepenumero non parum juvat.

Denique,

* Firſt Lines, &c.

Denique, cum triſtitia ac deſperatio animum occupant, aut moeſtitia et ſolicitudo exedunt vitalia, aut pectus exaeſtuat affectibus vehementiſſimis, aut iniqua valetudo extenuat, dolorque torquet corpus, jam tum ſymphoniae, et cymbala, ſtrepituſque, interdum ſunt auxilio, ſupra quam cuique credibile eſt.

Melancholia ſaepe in maniam tranſit. Sed haec hactenus.

Convenit jam quaedam diſſerere de hypochondriaſi, malo nempe, quod hominibus hujus temperamenti minitatur, eoſque ſaepe permagnis moleſtiis afficit.

Omnibus vero ex morbis, quibus compages humana patet, nullus quidem unus eſt, qui opprobrium medicinae juſtius audire debeat.

Adoleſcentes raro, aetate provectos, plerumque invadit. Viros quidem frequentiſſime, ſed mulieres aliquando tamen vexat; et ſemper fere magis ac magis accedente ſenecta increſcit. Adſunt autem angores, ſolicitudines, diurni et nocturni metus; memoria deficit ac judicium; accedunt dubitatio taediumque omnis incoepti operis; aſſidua inſidens cogitatio de valetudine; crebra denique animi inclinatio ad iram ſine ulla manifeſta cauſa, praeſertim in familiariſſimos. Huic quiddam ſimile, ſed levius, ex debili forſitan mobilique nervoſo genere ortum, in dyſpepſia apparet.

Animi quidem ſpecies modo dicta plus eſt dimidio mali, atque ipſa naſcitur fortaſſe ab eadem illa partium firmarum rigiditate, torpore nervoſae vis, ac certa arteriarum venarumque ratione, quae nimirum aetate provectis, imo etiam ſemper plus minus in melancholico temperamento, exſiſtunt.

Mente

Mente ita aliquamdiu affecta, corpus deinceps pro consortio patitur; ventriculo itidem, ut in dyspepsia, male est; intestina turbantur; praecordiorum gravitas, cordisque palpitatio, praesertim noctu, infestat. D. Hoffmannus aliique dixerunt, capitis dolorem ac vertiginem, tinnitum atque aurium tarditatem, dolorem et siccitatem oculorum, una cum caligatione, visuque interdum duplici, frequenter adesse. Imbecillitas vero, quae necessario demum insequitur, semper fere, citius seriusve, alia arcessit mala, quibus homines resolvuntur.

Periodicas quoque accessiones habere dicitur; hinc violentissima observatur autumno ac vere. Mulieres autem plerumque ad menstrua, quae haud saepe certa sunt, adoritur.

Multi quidem non mediocres viri existimarunt hypochondriasin et hysteriam, hanc scilicet foeminis, illam viris propriam, esse unum atque eundem morbum. Multa certe inter se quam simillima sunt communia utriusque; attamen, omnibus rite perpensis, statuendum est, ista vitia revera plurimum differre, atque ex diversissimis conditionibus oriri.

Hypochondriasis lente et gradatim, hysteria cito subitoque advenit; illa raro, haec saepe sanabilis; prior homines solummodo temperamenti omnino melancholici, posterior illos valde sanguinei invadit; hic magna levitas, motusque spastici crebriores violentioresque, illic amor solitudinis dominatur. In hysteria umbilicus intro attrahitur; in hypochondriasi abdomen prominet; illic homo saepe requie certoque fruitur somno; hic noctes vigilantur amarae, aut somni breves, et iidem per somnia tumultuosi sunt. Deliquium animi globusque hystericus raro in hypochondriasi, certe nunquam sicut in hysteria apparent; illa denique accedente senecta increscit, haec contra semper fere adolescentia incidit atque aetate procedente

cedente minuitur; poſtremo, viros multo ſaepius quam foeminas prior, vice autem verſa poſterior, affligit.

Raro admodum hypochondriaſis a melancholia dignoſci poteſt; in hac autem, ut videtur, haud ſaepe cruditas ſubſtat, iſque metus atque animi demiſſio, quae adſunt, ex falſo judicio de aliis quam valetudine oriuntur.

Etſi morbus hicce rarius plenam ſanationem recipiat, attamen violenti impetus quadam tenus cohiberi aut leniri poſſunt. Curationis itaque ſumma in eo eſt, quo proclivitati obſtetur, vitentur irritamenta, indicia denique peſſima aut tollantur aut minuantur.

Proclivitas, melancholicum ſcilicet temperamentum, utpote a parentibus tradita, nunquam ulla omnino arte corrigitur; at vero aliquatenus impeditur, quo minus per ſe morbum incutere queat.

Inter omnes conſtat, deſidis otia vitae fovere proclivitatem, morbumque natum alere; imperandum eſt igitur exercitationem, quaſvis occupationes, qui animus oblectatur, atque avocetur a contuendis malis. Adeo enim vitio quaſi ab incunabulis obviam itur.

Deinde, cauſis, quae excitent, cavendo vitatis, ſaepenumero licet arcere morbum, qui aliter urgeat neceſſe erit. Quarum quidem nulla ſaepius juſtiuſve notatur, quam ſocordia atque ignavia; quippe quae, circuitu ſanguinis retardato, clauſo excrementis itinere, ſtomacho infirmato, adeoque cruditate ſuiſque omnibus illatis, nec non etiam animo fracto ac demiſſo, nutriant proclivitatem, ſaepiuſque monſtrum hypochondriaſin edant.

Immodica quoque venus atque intemperantia cujuſlibet generis huc non paulum quid mali apportant. Hinc iſti, qui

adoleſcentiam

adolescentiam suam manu, ventre, pene agitarunt, saepe aetate provecti, annisve in senium vergentibus, in hypochondriasin implicantur, unde nihil fere nisi mors expediat.

Hujusmodi porro sunt studium pertinax seu inquieta cogitatio, animi anxietas, metus, diuturnus ac crudelis luctus ex eorum, qui cari fuerint, interitu, frustrationes multigenae; quibus demum accedat laetitia nimia, quae aliquando cum animum, tum corpus totum, maximo motu perturbet *.

Denique, causis istis annumerantur coelum hoc et illud, nec non aliquot vitia, ut melancholia, arthritis, nephritis, &c. quae potius esse effectus ipsi videantur.

Jam vero cibus debet esse valens, lenis, facilis ad concoquendum. Lac, utpote saepe acescit in stomacho, nocet; et fortasse utilissimus omnium cibus est caro, modice simul assumpta, atque ex intervallo haud magno repetita. Aqua pura, cui paulum liquoris e saccharo confecti, vel vini adusti, sit adjectum, potui sumpta, ut de cibo dictum est, maxime convenit.

Quoniam hoc malum putatur nasci ab torpore atque inertia universi nervosi generis, idcirco talia remedia vulgo adhibentur, quae viribus nervorum reparandis movendisque sunt. Ad haec autem adeo instar omnium valet exercitatio, imprimis corpuscula per invisibilia foramina manare cogendo, unde actio stomachi excitetur, ut omnino aut magna ex parte curatione, quae medicamentis redditur, supersedendum sit. Optima hujuscemodi est equitatio, quippe quae mentem variet, nec corpus fatiget; vehiculo ferri aperto, quod aeger ipse agat, vel gestari cymba multum saepe profuit.

Nunc

* D. M'Bride.

Nunc votum quidem eſt, ut animo male ſe habenti levatio praeſtetur; oblectamentis igitur omnigenis, praeſertim varietate et ſodalium et locorum utendum eſt.

Cane pejus et angui vitanda eſt ſolitudo; quippe quia excitare recordationes, quae quaſi morſu quodam dolorem efficiunt, aut anticipationem moleſtiarum injicere ſolet.

Quandoquidem natura ita comparatum eſt, ut noſmetipſos cum obviis conferamus, beatitas noſtra aut miſeria ex quibuſcunque collatis aeſtimatur, ideoque nihil hic ſolitudine periculoſius, quia animus tum vult ſublime ferri, fingitque ſibi neſcit quam ſeriem animalium rationis participum, quorum omnium homo videtur ſibi ipſi eſſe infimus viliſſimuſque.

Verum de curatione mentis hypochondriaſi affectae, ita, ſuo ſcilicet more, accurate copioſeque D. Cullenus differuit, ut nihil poſſit ſupra. Spondeo, ſi qua fides eſt, futurum, ut praecepta, diligenter nimirum facta, hunc lenire dolorem valeant, et magnam morbi depellere partem.

Quod ſi malum ingraveſcit, medicamentis ſubveniendum eſt; quaeque abſorbeant, leniter cieant alvum, ſpiritum digerant, ac motus cohibeant ſpaſticos, ut res poſtulat, utendum eſt; alioquin autem, fortaſſe corticem Peruvianum vinumque abunde eſt ſumpſiſſe.

Thea et Cafe, nec non lavatio calidae aquae, in dyſpepſia inutilia, hic ſaepe proficiunt; cum eo tamen, ut non nimis adhibeantur, alioqui debilitas eſt ſubitura.

Electricitas denique et fricatio hoc in caſu prodeſſe exiſtimantur; id quod ex ſuis notis viribus conjicere licet.

DE CHOLERICO TEMPERAMENTO.

Omnia quidem ſingula hujus referre ab re foret, utpote cum eſt medium priorum utrinque reductum.

Oculi ſunt acuti et plerumque caeſii. Fibrae haud ſunt tam remiſſae, quam in ſanguineo, nec pariter intentae, ac in melancholico; genus nervoſum non eſt aeque irritabile, atque in illo, nec ita, ut in hoc, pigrum atque iners. Mens eſt magis vivida ac mobilis, quam hic, contra autem minus, quam illic. Homines hujus conditionis inveniuntur plus nimio ad iracundiam proni, verum facilius melancholicis eandem dimittunt. Semper fere praeſtant pluribus ingenii dotibus, civeſque patriae egregii contingunt.

Virile denique ac muliebre ſecus omnis aetas huic eſt obnoxia, multo tamen magis in calidis regionibus.

Febres autem intermittentes, jecinoris, ventriculi, atque inteſtinorum vitia hanc claſſem in primis infeſtant.

Icterus quidem, nulli uni temperamento proprius, huic tamen ſaepius, quam caeteris incidit, ideoque pauca de illo annotare viſum eſt.

Signa, quippe omnibus nota, operae non erit memorare.

Quodcunque impedit, quo minus bilis a ductu in duodenum tranſeat, pro cauſa haberi poteſt; cujuſmodi ſunt jecinoris ipſius partiumve vicinarum tumores, calculi biliofi,

affectus ſpaſtici, bilis denique viſcoſa, quae ſubſiſtendo iter claudit.

Ad tumores vero referri licet tuniculas cavi addenſatas, excrementa in duodeno congeſta, nec non graviditatem. D. Monro caſum memorat, quo tuniculae canalis uſque eo craſſitudinis increverunt, ut nullum omnino foramen ſit. Similia quoque in monumentis medicorum, Morgagni praeſertim, legere licet.

Sed calculi itinera intercludentes forſitan ſaepiſſime malum apportant; id quod et ex eodem, illis nempe cum alvo redditis, ſublato, et corporibus inciſis intelligitur. Verique eſt ſimile, morbum iſtis per vomitum, majorem bilis impetum, &c. loco paululum mutatis, poſſe aliquamdiu relevari.

Deinde ex muſculorum vi, adeo in corpus diffuſa, aliquis haud temere exiſtimarit, vaſis bilem vehentibus muſculoſas ineſſe fibras, hiſque ſpaſmo correptis icterum gigni. D. Hoffmannus certe affirmat, eum frequenter aut comitari aut excipere morbos ſpaſticos, ut dolorem colicum, hyſteriam, &c. Magnae animi perturbationes, utpote ductum contrahentes, nonnihil forſitan eodem tendunt.

Denique, D. Monro viſcoſam bilem aliquando eſſe cauſam arbitratur; quae cum talis ſit, nihil fere magni periculi inſtat; quoniam vomitus niſuſve quilibet vehemens iter bilis admodum expediant.

Qui fit, ut bilis parum excreta icterum pariat? Utrum repellitur, an abſorbetur, adeoque ſanguini infunditur? Poſterius quidem fieri propius vero videtur, atque experimenta a D. Monro facta idem abunde teſtantur.

Communi

Communi enim canis ductu ſimulque thoracico vinctura compreſſis, nihil icteri apparuit, etſi vita per biduum ſuppetebat; alterius vero, cui prior tantummodo conſtrictus fuit, adeps ipſaque offa quatuor et viginti horis flavebant. Hinc poſteriorem eſſe iter materiae colorantis jure cogitur.

Ecce alterum experimentum etiamnum certius, factum, ut accepimus, coram Profeſſoribus D. Black et Young, quorum ſolertia dubitationem omnem praecidit. Communi ductu deligato, itaque ictero exorto, animal vivum inciſum fuit, ubi venae jecinoris et folliculi fellis lymphaticae liquore flavo, bilem cum colore tum guſtu referente, plenae deprehenſae ſunt.

Anatomici porro hujus ſeculi principes, D. Monro, Hunter, Hewſon, &c. pro certo affirmant, nihil omnino ex ductibus in venam portae aut cavam citra laceration em trajici poſſe. Adeo icterus neutiquam a bile repulſa efficitur.

An icterus unquam a ſecretione bilis adaucta oriatur? D. Monro aliique auctores memorant pueros aliquot hoc malo affectos, quibus alvus erat naturalis coloris, eaque quodammodo liquida; quod quidem ex ſecretione bilis adaucta, atque ejuſdem copia majore in duodenum infuſa, unde pars a vaſis lacteis ſit abſorpta, exſtitiſſe videatur. Huc fortaſſe febris flava Indiae Occidentalis ſimilitudinis gratia adduci liceat.

Nunc vero ortus ſpaſmo, calculis, graviditate, excrementis congeſtis, aut ſpiritu inteſtina male habente, morbus ſemper fere minus periculi affert.

Æſtimatio quidem cauſarum eſt ad dirigendam curationem neceſſaria.

Recens

Recens ſcirrhus locum medicinae praebet; conſummatus tolli fortaſſe remediis nequit. Sed quid tentare nocebit? Mercurio igitur, cicuta, cremore tartari, decocto graminis, taraxico, mezereo, quibuſdam aquis ferratis, &c. pro occaſione data, pugnandum eſt.

Deinde, adverſus calculos, ſpaſmum, ductuſque oppletos, quaecunque vomitu ſtomachum, alvum purgatione ſolicitent, motuſque ſpaſticos cohibeant, ſatis commode adhibentur. Vomitione autem, ubi calculi impediant itinera, haud temere utendum eſt. Si indicia inflammationis et pyrexiae adſint, ſanguinem prius, inciſa vena, mitti non erit alienum. Denique, ad motus ſpaſticos opium, fomenta abdomini ſeu epigaſtrio admota, praecipue omnium faciunt.

DE PHLEGMATICO TEMPERAMENTO.

Huic autem muliebris eſt opportunior, quam ſexus virilis.

Ipſa quidem cutis pallida, exalbida, cui pili ejuſdem coloris rari inſunt. Hi quoque in capite, cujus etiam parti majori ſaepe ex toto abſunt, in ſuperciliis et palpebris, ſunt rari, molles, exalbidi, aut ſubflavi; oculi vel majores ſolito vel minores, caerulei, et frequenter limi; corpus magnum, invenuſta forma, membra, manus pedeſque ingentia; firmiores partes flaccidae, adipe oneroſa coopertae; vaſa ſanguinem vehentia exigua;

exigua; circuitus ejusdem languidus ac tardus, aliique humores simul cum ipso tenues, aquati, lenti, et mites; secretiones atque excretiones fiunt cunctanter, parcius restrictiusque; vis denique corporea est parva, atque arctissimis circumscripta cancellis.

Hic certe, si alibi usquam, corpus indicat animum; homo enim hujuscemodi est ignavus, piger, tardus, socors; conversionibus, quas aut fragilitas mortalitatis aut fortunae mobilitas aliis continenter undique facit, non magis movetur, quam si dura silex aut stet marpesia cautes; amat inertiam et quietem; juvat sese proluere poculo veteris Massici, quo quidem agitante, velut praesenti numine, mirifice calescit. Semper fere velut torpor quidam membra tenet, haud raro lethargicum refert, frequenter inter agendum obruitur somno.

Est plerumque animi humilis, pusilli, atque ingrati; interdum fit arrogans, insolens, et superbus; saepius vero est imbellis timidusque; aliquando caeteris, per astutiam scilicet et calliditatem, antestare videtur. Facit quocunque modo rem. Scelerum quidem aliquot, magis ex poenae formidine, quam virtutis amore, inimicus est. Adeo demum inexpugnabilis exsistit multis vitiis. Minime omnium studet laudi et dignitati et gloriae. Blandis foemineis dolis flecti rapive nequit. Omnia remisse, aequabiliter agit; in imaginando tardus; pectus gestat adeo obtusum, ut amicum in alios animum mentemque benignam accipere nesciat.

Quae cum ita sint, nil mirum, si, ut optimus auctor dixit *, multae virtutum adsint, aut potius multa vitiorum absint.

Hinc

* D. Greg. Comp. View.

Hinc quidem castus a rebus venereis, sobrius, in proximos haud injustus nec injuriosus, naturali quodam bono facile evadit.

Nulli, ut sibi adulatur, vitiosae libidini obnoxius, cui continendae ac corrigendae auxilio religionis opus sit, minas hujus ac praemia pariter ignorat, ideoque nimirum frequenter sugillare eandem, repellere, ludibrio habere laborat.

Homines sibi familiarissimos, cognatos atque amicos, alium post alium, morte decedentes, citra doloris speciem intueri potest; imo etiam, O vecors atque amens! absurdo carmine ludit, " Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum!"

Ad summam, " hunc solem, et stellas, et decidentia cer- " tis tempora momentis, est, qui formidine nulla imbutus " spectet;" in seipso totus est; nihil pensi, neque sancti habet, nisi quo ventri suo placeat, quem summa observantia colit.

Homines hujusce temperamenti ab ineunte fere adolescentia aliqua occupatione implicentur oportet, improba ut Siren desidia malaque indidem oritura, quibus sunt opportuniores, mature, quoad ejus fieri poterit, arceantur.

Morbi autem, frequentius huic classi incidentes, sunt fluor albus, hydrops, chlorosis, apoplexia, &c. et gangraena saepe ex levibus momentis excitari putatur.

De his vero, ne tractatio excurrat longius, silere in praesentia melius visum est.

Aliud praeterea temperamentum ab aliquot memoratur, cui divites, quieti, et luxuriosi, praecipue omnium pateant; *nervosum* audit; quippe cui insignis generis nervosi mobilitas

atque

atque infirmitas accidant. Haec autem ipſa interdum caeteris, ſanguineo praeſertim, vel puro vel cum phlegmatico mixto, adſunt, atque omnino ex vitae genere orta, pro vitioſitate quadam potius haberi debent.

Temperamenta inter ſe omnimodis, aliud cum alio, commiſcentur; veluti phlegmaticum cum ſanguineo aut melancholico, ſanguineum cum cholerico; cujus quidem cholerici vis in pleriſque omnibus Hungariae indigenis ineſſe et vigere putatur.

Vocabula, quae ad vires rerum hujus loci notandas accepta jam uſu ſunt, quidque pro ſe, ſatis valent; ſed ſicut, ſupra dictum eſt, tot uniuſcujuſque et corporis et mentis ſunt propria, ut dari neceſſe ſit, nullos duos, quod ad temperamentum attinet, eſſe unum alteri omnino aut etiam paene pares. Atqui ita multum deprehenduntur communia, ut, quodcunque in alterius curatione reſponderit, commode ſatis alteri vicino adhibeatur. Hinc omnes, quibus fibrae rigidae, parum ſentientes inſunt, jure magis minuſve melancholici cenſentur; ideoque his medicamenta valentiora, quam quae aegris danda ſunt, quorum firmae partes ſint laxae ac mobiles, inter ſanguineos contra, aut fortaſſe phlegmaticos, numerandis, imperentur neceſſe erit.

Interdum non ſolum oportet, ſed etiam neceſſe eſt, temperamenta moderari, quod eſt, impedire, ne longius aequo procedant, utpote quae per ſe vel maxime in morbos quoſdam vergant, cauſiſque Remotis incidentibus facile cedant. Veteres itaque, rati profecto varietatem corporum ex humoribus ortam, hos quidem vitioſos praecipue victus ratione curabant. In corporibus relaxatis, cibum carnis validum

praeceperunt,

praeceperunt, quo plus terrenae materiae, adeoque firmitatis accederet; in duris autem, jurulentum cum oleribus, quae in contrarium valerent. Neque vero dubium eſt, quin corporis proclivitati per curioſum victum, et accommodatam exercitationem, occurri poſſit.

Abſtinentia atque exercitatio obſtant, quo minus proprietates ſanguinei temperamenti ſuperent. Purgationes coelique mutatio prohibent omnes inflammationes. Tanta autem mobilitate praeſente, quanta nervoſo ineſt, omnes utique exinanitiones, miſſo praeſertim ſanguine, vitandae ſunt, ciboque valentiore, medicamentis, qui ſtimulent atque intendant, ſubveniundum eſt.

Ad melancholicos cibi carnis validi, modicus boni vini potus, oblectamenta, jucundi ſodales, atque actuoſa vita optime conveniunt. Eodem quoque valet bonus tempeſtatum habitus, aequalitas, dies ſereni, cum eo tamen ut modo dicta ſimul adſint.

Cholericis caro modica, certa citra fatigationem exercitatio, coelumque mollius praeclare faciunt.

Phlegmaticis denique cibi carnis robuſti, liberalis potio vini plenioris, labor a teneris annis, quantus maximus imperari poteſt, haud parum auxiliantur.

Re quidem vera, modum ſervare, praeſertim in omni vel gratiſſima animi contentione, exerceri ambulationibus, praecipue matutinis et aeſtate et hieme, quotidie bene mane ſurgere, aqua frigida lavare membra, naturalia in primis, aeque pauperibus proſunt, locupletibus aeque; aeque neglecta pueris ſenibuſque nocebunt.

Jam

Jam ſatis conſtat, proſperitatem valetudinis, rationem naturalium corporis actionum, valde ex quodam verendorum habitu pendere. At enimvero ad hunc ipſum habitum, qualis is cunque demum ſit, vel conſtituendum vel ſervandum, illa eadem uſque a naſcendi tempore frequenter perlui aqua frigida longe longeque omnium plurimum confert. Quid? quod hoc a parentibus imperatum, a liberis ipſis in conſuetudinem adductum, forſitan graviſſimis nervorum valetudinibus utriuſque ſexus, chloroſi foeminarum aliiſque id genus, porro autem ſterilitati ſemper fere occurſurum foret.

Sed haec hactenus, ſicut quimus; quando, ut volumus, non licet.

F I N I S.

C O R R I G E N D A.

Pag. 8. *l.* ult. aliquot *l.* aliquod
——10.—15. imbecillitatem, dele comma
——25.— 6 facultates quales *l.* facultates, quales